corporibus disputat. rationalis cum de incorporeis sermo est quae mens sola complectitur. Nullam de tribus tullius in ullam
hoc somnio praetermisit. Nam illa ad uirtutes amoremque patriae et ad contemptum gloriae adhortatio quid aliud conti
net nisi ethicae philosophiae instituta moralia. Cum uero aut de spherarum modo aut de nouitate siue magnitudine si
derum deque principatu solis et circis celestibus cingulisque terrestribus et occeani situ loquitur et armoniae superum
pandit arcanum. phisicae secreta commemorat. At cum de motu et inmortalitate animae disputat. cui nihil
constat inesse corporeum. cuiusque essentiam nullus sensus sed sola ratio dep[re]hendit. illic ad altitudinem phi
losophiae rationalis ascendit. Vere igitur pronuntiandum est. nihil hoc opere perfectius quo uniuersa philo
sophiae continetur integritas; Macrobii Ambrosii Theodosii uiri consularis et inlus
tris commenta ex cicerone in somnium scipionis explicitunt feliciter;

Somnium Scipionis M. T. ciceronis exceptum ex libro VI de re publica;

CUM IN africam uenissem. A. manlio consule ad quartam legionem tribunus ut scitis militum. nihil mihi
fuit potius quam ut masinissam conuenire regem familiae nostrae iustis de causis amicissimum. Ad quem ut ue
ni complexus me senex conlacrimauit aliquantoque post suspexit ad caelum. et grates inquit tibi ago summe
sol uobisque reliqui caelites. quod antequam ex hac uita migro. conspicio in meo regno et his tectis p.
cornelium scipionem cuius ego nomine ipso recreor; Itaque numquam ex animo meo discedit illius optimi atque in
uictissimi uiri memoria; Deinde ego illum de suo regno. ille me de nostra re publica percontatus est; Multisque uer
bis ultro citroque habitis. ille nobis consumptus est dies; Post autem apparatu regio accepti sermonem in mul
tam noctem produximus cum senex nihil nisi de africano loqueretur. omniaque eius non solum facta sed etiam dicta me
minisset; Deinde ut cubitum discessimus. me et de uia et qui ad multam noctem uigilasse artior quam solebat
somnus complexus est; Hic mihi credo equidem ex hoc quod eramus locuti. fit enim fere ut cogitationes sermonesque nostri
pariant in somnio aliquid tale. quale de homero scribit ennius. de quo uidelicet saepissime uigilans solebat
cogitare et loqui. Africanus se ostendit ea forma quae mihi ex imagine eius quam ex ipso erat notior. Quem
ubi agnoui. equidem cohorrui. sed ille. ades inquit animo. et omitte timorem scipio. et quae dicam trade memo
riae; Uidesne illam urbem quae parere populo romano coacta per me renouat pristina bella. nec potest quiescere.
ostendebat autem cartaginem de excelso et pleno stellarum inlustri et claro quodam loco. ad quam tu oppugnan
dam nunc uenis pene miles. hanc hoc biennio consul euertes; Eritque cognomen id tibi per te partum. quod habes
adhuc a nobis hereditarium; Cum autem cartaginem deleueris. triumphum egeris censorque fueris et obieris legatus aegyptum
aegyptum. siriam. asiam. greciam. delegere iterum consul absens. bellumque maximum conficies. numantiam excindes.
Sed cum eris curru capitolium inuectus. offendes rem publicam consiliis perturbatam nepotis mei; Hic tu africane osten
das oportebit patriae lumen animi ingeniique tui consiliique; Sed eius temporis ancipitem uideo quasi fa
torum uiam; Nam cum aetas tua septenos octiens anfractus solis reditusque conuerterit. duoque hi numeri quorum
uterque plenus alter altera de causa habetur circuitu naturali summam tibi fatalem confecerint. in te unum atque
in tuum nomen se tota conuertet ciuitas; Te senatus. te omnes boni. te socii. te latini intuebuntur; Tu eris unus
in quo nitatur ciuitatis salus; Ac ne multa. dictator rem publicam constituas oportet. si impias manus propin
quorum effugeris; hic cum exclamasset lelius. ingemuissetque uehementius ceteri. leuiter arridens scipio.
et quaeso inquit. ne me e somno excitetis. et parum rebus audite cetera; Sed quo sis africane alacrior ad tutan
dam rem publicam sic habeto. omnibus qui patriam conseruauerint. adiuuerint. auxerint. certum esse in caelo definitum
locum. ubi beati aeuo sempiterno fruantur; Nihil est enim illi principi deo qui omnem mundum regit quod quidem in
terris fiat acceptius quam concilia coetusque hominum iure sociati. quae ciuitates appellantur; Harum rec
tores et conseruatores. hinc profecti huc reuertuntur; Hic ego et si eram perterritus non tam mortis metu
quam insidiarum a meis. quaesiui tamen uiueretne ipse et paulus pater et alii quos nos extinctos esse
arbitramur; Inmo uero inquit hi uiuunt qui e corporum uinclis tamquam e carcere euolarunt; Vestra uero

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA
HESSEN
Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/bav/bav_pal_lat_1341/0193